Sed forsan quis objiciet ex Divino et stupendae Eloquentiae Romulinepotum viro Tullio, dicente: Omnis Natura amans est sui: concedo, verum est et iterum aliunde: [illegible] concedo, verum est. Sed ut obscuritatis nube disjuncta veritatis lux haec refulgeat clarior, haesitationique omni succurratur, veni, in scholam Philosophorum nos conferamus, illi σοφοὶ καὶ σοφισταὶ colligunt geminam esse φιλαυτίαν, Falsam et veram, Falsa est, qua quis affectibus et cupiditatibus suis circa corporis voluptates et bona externa nimium indulget, indeque variis se sceleribus contaminat alias ut supra dictum nominatur αὐθάδεια. Haec ea est quae vulgo male audit: φιλαυτία autem vera est qua quis animum suum maxime amat, eumque bonis optimis excolere allaborat. Haec non potest non bene apud omnes audire. Hanc, hanc amplectimini, hanc osculamini, hanc sectamini: illam, illam vero puto falsam Vatiniano dixerim Cainino odio omnes ac singuli, singuli ac omnes tanquam scaturiginem omnium malorum prosequimini. Sed ut resset meam linguam ad id quod loquendum, ingenia supra dicta imitantur Narcissum, dum sibi solum placent, in praeconcepta sua opinione, omnemque sapientiam imbibisse fingunt, eorundemque animus tali fiducia tumescit. Nam, nonne [illegible] Narcissi φιλαυτία ex Nasone Poeta illo: qui ingreditur solo et caput inter nubila condit.

Narcissus nempe amore et desiderio imaginis suae ita captus fuit, ut nullam potiundae ejusmodi formae spem reliquam esse sibi potentissimum haberet. Non enim eos similius esse potest quam Narcissus studiosis φιλαυτίᾳ laborantibus. Narcissus eleganti oris erat habitu sed tandem paulatim haec pulchritudo contabuit: horum Eruditio etiam magis magisque cotidiè decrescit, ut in crassissimam demum ignorantiae abyssum delabantur. Quid tandem? Narcissus Deorum misericordia denique in florem sui nominis conversus fuit; hi etiam magistratus misericordia tandem ad exiguum aliquod officiolum ipsorum Eruditione (si etiam Eruditio nominanda) prope dignum promoventur. Proinde optimè cecinit vir ille diffusissimae Eruditionis et certò peplo Minervae dignus: Multi ad Eruditionem pervenissent, nisi jam se ad eam pervenisse putassent. O auream et plusquam auream sententiam: hoc omni Oraculo verius, sive illud fuerit Delphicum, sive Ammonicum, sive Dodonaeum. Nolo vos diutius detinere, possem quidem vobis jucundam ex Plutarcho propinare historiam sed sufficiat haec relatio. Videtis satis superque exinde quid afferat suis cultoribus Philautia. Tandem clamant cum Oedipo Euripideo: Ego qui excellui omnes Reges sapientia quid nunc sum

O mihi praeteritos referat si Jupiter annos

Nam